Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 709
Quelle:
Copyright:

Sermo I. in Edit.	CIX. et quidem in *Lucam.*	XIII.	LXXVI.
II.	LIV.	XIV.	LXXII. in *Append.*
III.		XV.	LXXXIII.
IV.	LV	XVI.	LXXXII.
V.	LXI.	XVII.	LXXXIV.
VI.	LXII.	XVIII.	LXXXVIII.
VII.	C. in *Lucam.*	XIX.	LXXXII. in *Append.*
VIII.	LXVII.	XX.	LXXV. in *Append.*
IX.	LXX.	XXI.	XCVII. in *Marcum*
X.	LXIX.	XXII.	
XI.	LXXI.	XXIII.	XCIII.
XII.	LXXII.		

Vides III. et XXII. vacare; neque enim eos in S. Patre reperi. Et prior quidem *fol.* 4. inscribitur: *Sermo eiusdem de uerbis domini in euangelio Secundum matheum. Qui fecerit et sic docuerit maximus uocabitur in regno cęlorum.* Incipit autem: *Dum nobis pro officio competat dicere. uobis autem conueniat pro deuocione audire. quid tam necessarium tamque timens* (radendo corrupta vox, fortasse *pertinens*) *poterit utrisque contingere, quam ut* (abrasum *quod?*) *religiose dicitur et deuote auditur, obsequiis competentibus teneatur. Nam si religiosa non tacere lucrum est, tacere dispendium, quanto itaque pociora lucra poterunt prouenire, cum operationis effectu monstratur, quidquid magisteriis celestibus discitur et tenetur. Gregorium* M. audire te putes; sed neque apud hunc inveni brevem hunc *Sermonem*, qui de Docentis et Discipuli officio, et Dei misericordia et Legis observantia pertractans finit mendose: *Et dum tenentes prospera et repellentes aduersa in conspectu domini inueniamur ab ipso cum omnibus sanctis in eterna secula seculorum. Amen.* Alterius inscriptio est *fol.* 54. *Sermo eiusdem de uerbis domini. in euang. S. Math. De decem virginibus.* et initium: *Inter parabolas a domino dictas solet querentes multum mouere ista que de decem uirginibus posita est. Et multi quidem hic multa senserunt que non sunt preter fidem sed quomodo partibus eius omnibus conueniant expositione laborandum est. Legi etiam in quadam scriptura ex earum genere que apocrife nominantur* &c. Indigna haec *Augustino*, cujus *Sermonem* XCIII. de eadem Parabola legisse tamen ignotus autor videtur. Finit ille: *neque aliis preiudicat. que nichilominus secundum fidem esse potuerint.*

II. *fol.* 59. *Incipiunt sermones euangelii Secundum Lucam.* En alteram classem *Sermonum*, ut Elenchus praefert, XV. quorum tamen ultimus sit: *De uerbis apostoli. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal christi.* En eorum cum Editis collationem.